



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

De Sacramento extremæ Vnctionis, notæ ad instructionem Pastorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

# DE EXTREMAE VNCTIONIS

Sacramento.

I.



**S**ERVATOR humani generis Christus, quemadmodum Baptismi Sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit: sic etiam ut ex hac mortali migrantes expeditionem ad coelum viam haberemus, extremæ Vnctionis sacramentum instituit, insinuatum apud Euan-

Sacramen-  
tum extre-  
mæ Vncti-  
onis cur  
institutum.

Marc. 6.  
Iacob. 5.

gelistam, & per B. Apostolum Iacobum promulgatum ac commendatum dum scribit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.

**II.** Quod quidem hoc nomine appellatur, vel quia datur agentibus in extremis, vel quod omnium sacramentorum, quas Christus Ecclesiæ suæ commendauit, vltima administranda sit. Siquidem primo vngimur Catechumeni, deinde baptizati, cum confirmamur, tertio, demum cum à vita egredimur hanc extremam recipimus vntionem.

Vnctio ex-  
trema vn-  
de sic dicta.

1.

2.

3.

4.

Vnctioes  
sacræ qua-  
tuor.

**III.** De huius natura, fructibus, atq; coëremonijs frequenter fideles docēdi sunt, ut ijs accuratè cognitis, nec non superstitiosis, quibus multi laborant, opinionibus euulsis, magna pietate & deuotione cum opus est, illud suscipiant.

Cur fideles  
de hoc sa-  
cramento  
docendi.

**IV.** Eius

Materia  
sacram. ex-  
tremæ Vn-  
ctionis.

- IV.** Eius materia est oleum oliuarum ab Episcopo consecratum. Quæ materia aptissimè id significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur. Nam vt oleum ad mitigandos corporis dolores maximè proficit; ita huius sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem adfert, & lumini tanquam pabulum præbet, tum ad recreandos defatigati corporis vires maximè est accommodatum. Quæ omnia, quid in ægroto diuina virtute per huius sacramenti administrationem efficiatur, declarant. Porro oleum istud Pastores singulis annis nouum procurare debent, nisi grauius peccare velint. Quo habito vetus comburatur. Defectus modo supra dicto pag. 3. §. 12. restaurandus est.

Oleum in-  
firmorum  
quotannis  
renewan-  
dum.

Forma ex-  
tremæ vn-  
ctionis.

**V.** Forma verò est solennis illa precatio quam sacerdos ad singulas vnctiones adhibet, cum ait: Per istam sanctam vnctionem, & per suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, &c.

Minister  
extrem.  
vnctionis.

**VI.** Minister huius sacramenti est sacerdos B. Iacobo teste cap. 5. & quidem ex S. Ecclesiæ decreto proprius Pastor, qui iurisdictionem in ægrotum habet, siue alius sacerdos, cui ille sacramenti huius tribuendi potestatem fecerit. In extremæ tamen necessitatis casu etiam sacerdos, tametsi Pastor non sit, id potest administrare.

**VII.** Quamuis autem plures sacerdotes ad precandum adesse possint, vnus tamen idemque sit oportet, qui infirmum vngit, & formæ verba pronunciat.

**VIII. A C**

**VIII.** Ac in ministro iam dicto requiritur, vt non sit nominatim excommunicatus, vel ab officio suspensus. Potest tamen eiusmodi alteri non excommunicato muneris sui fungendi vices committere.

Ministri  
qualitas.

**IX.** Religiosus hoc sacramentum sine impetrata à proprio Pastore licentia administrans excommunicationem incurrit, nisi illum aut ignorantia aut spes rati habitiois excuset. Æger tamen peccatum alieni ministri ignorans fructum sacramenti consequitur.

Religiosi  
non sunt  
ministri  
extr. Vn-  
ctionis.  
De privileg.  
cas. Reli-  
giosus in Cle-  
ment.

**X.** Effectus huius sacramenti præcipuus est, gratiam Spiritus sancti conferre, quæ animam à languore & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, sanat, peccata non venialia modò, sed etiam mortalia quandoque remittit, quibus quis vel ob confessionem & communionem non ritè, ignoranter tamen peractam, obstrictus est; vel in quæ post illa sacramenta incidit quidem, sed ijs se teneri ignorat. Efficit etiam vt fidelium mentes anxietate, quam tum mortis imminenti cogitatio, tum scelerum præteritorum recordatio pariunt, liberentur, & pio sanctoq; gaudio repleantur. Vires præterea & arma subministrat, quibus Diaboli tum maximè in hominum perniciem incumbentis, vim & impetum frangere & illi fortiter repugnare possint. Nam ægroti animus erigitur diuinæ bonitatis spe, eaque confirmatus morbi incommoda omnia ipsamq; mortem fert leuiùs, ac dæmonis calcaneo insidiantis artificium, & calliditatem faciliùs eludit. Adhæc peccati poenas aut delet, aut saltem minuit. Denique corporis sanitatem, si profutura sit, restituit, qui secundarius huius sacramenti effectus est.

Effectus S.  
extremæ  
Vnctionis  
B. Harm. de  
sacra. extr.  
Vnct. Tom.  
2. cap. 8.

1.

2.

3.

4.

5.

O

Ex qui-

Ex quibus intelligunt Parochi quanto studio suis auditoribus hoc sacramentum commendare debeant, cum aliquando fieri possit, ut eius perceptione saluentur, qui alioquin damnandi erant.

Vnctio  
extrema  
quib. con-  
ferenda.

**XI.** Sed huius tam excellentis gratiæ capaces non sunt, quos peccati mortiferi conscientia redarguit, ideoque seruanda est perpetua Ecclesiæ consuetudo, qua receptam est, ut ægroti nulli nisi per confessionem sacramentalem reconciliati & Eucharistiæ epulo refecti sacro oleo liniantur, modo tempus & infirmi conditio id permittant.

Quo tem-  
pore extre-  
ma Vnctio  
danda.

**XII.** Eo potissimum tempore hæc cœlestis medicina porrigenda est, quò ita grauius decumbit infirmus, ut vitæ illi periculum imminere verisimiliter putetur, & quando in eo adhuc mens integra atque ratio viget. Nec enim dubitandum est ad vberiore sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si administretur cum egrotus fidem & religiosam voluntatem adferre potest.

**XIII.** Vnde consequens est à peccato immunes non esse, qui illud tempus ægroti vngendi expectant, cum iam omni spe salutis amisâ vitæ & sensibus carere incipit.

Vnctio  
extr. qui-  
bus non  
imperti-  
enda.

**XIV.** Sequitur & illud hominibus sanis atque valentibus quantumuis magna vitæ periculum adeant, administrari non debere. Quales sunt facinorosi extremo supplicio iam nunc affiendi, periculosam nauigationem inituri, aut prælium; lethaliter vulnerati rectè & salubriter inunguntur.

**XIV.** Pueri quòd peccata nulla habeant, quorum reli-  
quias

quias purgare fit opus ab huius sacramenti susceptione arcentur.

**XV.** Similiter amentes & furiosi, nisi interdum rationis usum habuerint, & sanæ mentis tempore piæ animi significationem unctiõis huius recipiendæ dederint.

**XVI.** Ætas huic sacramento præfinita eadem quæ communioni, quibus igitur per ætatem communicare licet, ijdem etiam sacro hoc oleo inungi possunt. Vngendoru ætas.

**XVII.** Non omnes corporis partes ungendæ sunt; sed tantum sensuum exteriorum sedes, oculi propter visionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum & locutionem, manuum palmæ tam sacerdotum quàm laicorum propter tactum, pedes propter gressum, Renus unctio, quod de substantia non sit propter honestatẽ tam in viris, quàm in mulieribus ferè omittitur, eorumque locopectus circa regionem cordis sacro oleo liniri solet. Corporis partes que ungendæ & quare. Molaxia Theolog. practi.

**XVIII.** Sed & vnica unctiõne Sacramentum perfici potest, cum id magna necessitas aut contagio postulat, cum enim membro seu sensus organo unctiõni maximè exposito impenditur hoc modo: Per istam unctiõnem indulgeat, &c. aut saltem ex sententia aliorum, quam tutiorem volunt, breui motu vno oculo, aure, nare, labio, manu inunctis dicatur: Per istas unctiõnes indulg. vt infra notabitur. Vnct. extrema in necessitate.

**XIX.** Qui dictorum membrorum aliquo carent, in parte corporis illi propinqua ungendis sunt.

**XX.** Cum duo vni sensui à natura tributa sunt instrumenta, non antè tota forma est enuncianda, quàm vtrumque sacro oleo sit delibutum. Verba in unigendo quomodo pronuncianda.

De lepro-  
sorum in-  
unctione  
quomodo  
perficiēda

**XXI.** Quando leprosi aut alio contagioso morbo infecti vngendi sunt, etsi sacerdos heroicè fecerit, si omni posito timore diuina fretus gratia ægrum more vsitato inungat: posset tamen qui natura esset timidior ad euitandum periculum spatula in sacrum oleum intincta vnctionem perficere, eamque deinde cum stuppa, seu lino, quo pollicem & loca inuncta terfit in ignem projicere.

Quoties  
ægroti  
sint inun-  
gendi.

**XXII.** Meminerit Pastor semel tantùm in vna eademque ægrotatione infirmum vngendum esse. Quoties postea sanitate reddita in morbum alium eundemve inciderit, toties eiuldem sacramenti subsidium ei adhibere poterit: Quin etiam si vnus idemque morbus sit diuturnus, vt hydropisis, febris longa, paralytis & similes, qui prius ægrum in graui mortis periculo constituat, postea verò ita vim suam remittat, vt homo censeatur esse extra mortis discrimen, non tamen profus à morbo liber, & in eo aliquandiu perduret, si necessitas, & periculum simile occurrat, sacramentum hoc iterari poterit, modo infirmitatis status per moram diuturnam ita interrumpatur, vt iudicio communi morbi distincti videantur.

**XXIII.** Preces, quæ sacræ Vnctioni secundum formam in hac Agenda præscriptam præmitti, & subiungi solent, nunquam omnes prætermittantur, nisi aliud aut necessitas, aut contagionis periculum suadeat. Quo casu peracta vnctione in Ecclesia, vel inter eundem ac redeundum absoluantur.

**XXIV.** Pastores, qui in sacramenti huius exhibitione sunt negligentes, lethalem culpam non effugiunt.

**XXV.** Etsi

**XXV.** Etsi autem illud non sit absolute necessarium ad salutem; tamen omittere ex contemptu, & nolle suscipere, quasi sacramentum non sit, nec ad salutem utile, damnabile esset & hæreticum. Qui verò ex aliqua negligentia omittit, licet id faciat citra salutis iacturam, tamen multis bonis, magnisque præsijs se priuat, vt ex ante dictis patet.

**RITVS ET FORMA ADMINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ Vnctionis.**

**I.**



**Q**VM ad ægrotum inungendum sacerdos vocatur, superpelliceo & stola amictus, vasculum sacri olei è sacrario assumet, & custode itidem superpelliceo induto cum lumine, aqua benedictâ & rituali libro comitante, eâ, quâ diuinorum mysteriorum dispensatorem decet, grauitate & reuerentia per plateas incedat, pias ad Deum preces, præsertim Psalms Pœnitentiales pro infirmo dicat, caput opertum habeat.

Modus quo sacerdos oleum sacrum ad ægrotantē deferet.

- 1.
- 2.
- 3.

**II.** Porro nemini vel in templo præsentem, vel in platea occurrentem, & in genua procumbentem, nec infirmo eiusque domesticis vasculo sacri olei benedicat, ne his cæremonijs inducta plebs imperita latriæ cultum, quæ soli Deo Optimo Ma-

Oleis. Vasculo nemo benedicendus, & quare.

O 3 mo Ma-